



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Consilium suauiissimum ad feliciter moriendum, & vera pœnitentia vnde.
Can. XI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

igitur sunt quæ spiritum impediunt, carnem oblectant, relinquenda quæcumque non expediunt, & vnicuique viuendum omni hora, quasi etiam eadem sit vltima, qua moriturus ad Dei iudicium vadat.

*Consilium sanissimum ad feliciter moriendum & vera
penitentia vnde.*

CANON XI.

Consilium
ad mortem
sanum quid
sit.

Consilium igitur vtilissimum est vt eo viuas modo filia, quo non timeas mori. Nunc etiam, & si continuè, sæpenumero tamen quasi ante oculos præsto tibi debet esse hora illa, qua anima tua de corpore exitura, pro singulis operibus, verbis & cogitationibus iudicabitur. Idèq; tibi nunc debes imperare, vita agas modo, ita parata inueniaris, quomodo paratum te optares inueniri, cum mors adfuerit indubitata.

Correctio-
nem vitæ
differte vs-
que ad mor-
tem quantæ
sit demerita.
Penitentia
fallax quæ-
nam sit.

Stultissimi & insani cordis est, vitæ correctionem ad tempus illud differre, quando temporis tibi finis instat, quando vltra viuendum non est, quando iam non te emendare, sed emendata Deo occurrere debes. Egre dientem certè ex hac vita, non solum peccata, sed cuncta etiam relinquunt. Non igitur peccatam deseruisse diceris, quando iam peccare vltra non vales. sed si dum peccare potes, à peccatis desinis, vera penitens iudicaberis. Et licet vera penitentia nunquam sera dicenda sit, hæc tamen quæ ad extrema vitæ differtur, rarò vera esse timeretur. Nam si timore tantum damnationis iam iamq; moritura doles, pro periculi euasione parata facere quisquid remedij consequi posses, non ex charitate doles, quia Deum offendisti, sed ex priuato amore, quia tibi benè, & non malè optas. Doles enim, quia tuis peccatis æternam damnationem tibi constituisti. Quæ si rectè doleres, ob hoc duntaxat doleres, quia mihi inobediens, mihi ingrata, mihi contumeliosa: mihi honorem & reuerentiam dignam nõ exhibuisti: quem te velle coluisse deberes, quomodocumq; etiam tibi eueniret. Iam verò quia propter te tantum doles, si tibi periculum abisset, aut vltio pro peccatis nulla foret, nihil lugeres, tamen si mille annis me offendisses. Vera penitentia, quæ animam mihi reconciliat, nascitur ex charitate, & plægit hoc præcipuè, quod ad eò sæpè me optimum, maximum, piissimum, fidelissimumq; Dominum Deum, creatorem & redemptorem suum contempserit, atque offendit. Inde (inquam) cor eius vulneratur, quod tam ingrata tam inobediens tam superba (cum sit puluis & nihil) contra me se erexit. Quisquis igitur bene ac feliciter desiderat mori, sobriè, iustè ac piè (vt Apostolus meus monet) viuat. Bonam ac iustam vitam non sequitur mala mors, sed prætiosa est in conspectu meo mors sanctorum meorum, quocumque etiam genere moriendi (hoc est, siue in aquis, siue in ignibus, siue in lecto) hac luce defungantur. Ad præparationem autem mortis, cuius meditatio tota est vita sapientis, sume hic exercitium quoddam breue, quo se quisque admoneat, vt in statu tali, quo non timeat mori, fatagat inueniri.

Dolor de
peccatis ve-
rus qui fore
debet.

Penitentia
vera vn te
nascatur.

Sen 18.
Philip. 3.
Psal. 137

Monita salubria ad bene moriendum.

CANON XII.

Quicquid moriens optares te egisse, hoc age modo. Quicquid factum esse volueris, hoc alijs nõ cõmitte post mortè tuã faciendũ, sed tu ipse fac. Si enim in tua salute tu ipse negligens fueris tibi, atque infidelis, quomodo alieni suam felicitatè curabunt? Noli super incertis sperare, & vanis promissis, nec dubijs euentibus te committas. Sic viue & age, vt sis in conscientia tua tranquilla, & quasi hodie